



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XXIV. De electione facienda per scrutinium vel compromissum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

ANNO
CHRISTI
MDCCLXV. hoc etiam occurrere periculis animarum, & ecclesiarum indemnitatibus prouidere, statuimus, vt vltra tres menses cathedralis vel regularis ecclesia praelato non vacet, infra quos, iusto impedimento cessante, si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant eligendi potestate careant ea vice, ac ipsa eligendi potestas ad eum qui proximo praesesse dignoscitur deuoluatur. Is vero ad quem deuoluta fuerit potestas, Dominum habens praeculis, non differat vltra tres menses, cum capituli sui consilio & aliorum virorum prudentium, viduatam ecclesiam de persona idonea, ipsius quidem ecclesiae, vel alterius, si digna non reperiatur in illa, canonice ordinare, si canonicam voluerit effugere vltionem.

XXIV.

Quia propter electionum formas diuersas, quas quidam inuenire conantur, & multa impedimenta proueniunt, & magna pericula imminent ecclesiis viduatis, statuimus, vt cum electio fuerit celebranda, presentibus omnibus qui debent & volunt & possunt commode interesse, assumantur tres de collegio fide digni, qui secreto & singulatim ^{*lege vota} voces cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto, vt is collatione adhibita eligatur, in quem omnes, vel maior vel sanior pars capituli consentit. Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium ecclesiae viduatæ prouideant de pastore, aliter electio facta non valeat, nisi forte

communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem diuinam, absque vitio celebrata. Qui vero contra prædictas formas eligere attentauerint, eligendi ea vice potestate priuentur.

Illud penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco de quo debeat aduocari, iustoque impedimento detentus venire non possit: super quo, si fuerit opus, fidem faciat iuramento, & tunc, si voluerit, vni committat de ipso collegio vicem suam. Electiones quoque clandestinas reprobamus, statuentes, ut quam cito electio fuerit celebrata, solenniter publicetur.

xxv.

Quisquis electioni de se factæ per secularis protestatis abusum consentire præsumperit contra canonicam libertatem, & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec absque dispensatione possit ad aliquam eligi dignitatem. Qui vero electionem huiusmodi, quam ipso iure irritam esse censemus, præsumperint celebrare, ab officiis & beneficiis penitus per triennium suspendantur, eligendi tunc potestate priuati.

xxvi.

Nihil est quod ecclesiæ Dei magis officiat, quam quod indigni assumantur prælati ad regimen animarum. Volentes igitur huic morbo necessariam adhibere medelam, irrefragabili constitutione sanctimus, quatenus cum quisquam fuerit ad regimen animarum assumpsus, is, ad quem pertinet ipsius confirmatio, diligenter examinet & electionis pro-

cel-